

pro æqvali prædæ distributione, qvam prædones nefarii invicem
præstant: modò propriè & verè pro habitu ipso, prout in Ethicis
definitur. Atq; tunc iterum vel Generaliter, ut omnes Leges &
Virtutes comprehendat, unde illud in L. 5. Eth. cap. 10.

Justitia in se se Virtutes continet omnes.

Vel Particulariter ut justam tantum rerum externarum di-
stributionem aut commutationem respicit, in qua ultima signi-
ficatione nostro subjacet labori.

Quid Rei?

§. I.

Ponenda esset jam ipsa realis definitio; Sed cùm sint, qvi pla-
nè negent existentiam Justitiae Particularis, distinctæ ab Univer-
sali, stabiliendam illam priùs esse arbitror, ne de non Ente videa-
mur disputare.

§. II.

Pro existentia itaq; Justitiae Particularis sat firmiter pugnare
videtur Aristoteles, innitens Contrariorum Legi. Per hoc
enim, qvod duplex offendatur Injustitia, duplē qvoq; dari adse-
rit Justitiam, cùm una circa contraria versetur ratio. Lib. 5. ad
Nic. cap. 4. Duplicem verò dari Injustitiam hoc loco evin-
cit: qvod παρεγνομία, qvam Universalis; & πλεονεξία, qvam
Particularis sibi addicit Injustitia, longè invicem differant. Ex-
emplō illustrat. Adulteriū committens ex libidinoso impetu, dicit
tur παρεγνομός, (ἀκόλατός) cùm Legem transgressus sit, non verò
πλεονέκτης, cùm nullum qvæstum inde fecerit. Contrà mer-
cedem capiens ex adulterio, dicitur πλεονέκτης, peccatq; contra
Justitiam Particularē, non verò ἀκόλατός. Et hinc, per ma-
gnam distare differentiam, concludit, uti latius diducit modò
laudatō locō.

§. III.

Huic succurrit & Fransk. in Comment. sup. Inst. Duos
Respublica juris agnoscit respectus invicem diversos; *Unum*,
qvem Cives, ut Partes ad Totum, nempe Rempublicam; *Alterum*,
qvem Cives inter se ut Partes, vides habere. Utterq; cum jus re-
quirat, duplex exoritur Justitia, *Universalis*, ex illo; & *Parti-
cularis*, ex hoc surgens respectu.